



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MONTIS HAGENSIS** IN PAPUA NUOVA
GUINEA PROVINCIA

ECCLESIASTICA NOVA CONDITUR Qui Divino Consilio beatissimo Petro, Apostolorum praecipuo, in regimen totius Ecclesiae successimus, eodem etiam amore atque sollicitudine, si fieri potest, creditum gregem administramus. Qua re, ubi aliquid ubi vis agendum viderimus, quod in christiani populi commodum cedere possit, id vigili studio aut gerimus, aut gerendum curamus. Cum ergo in Papua Nova Guinea iam catholica fides haud minima ceperit incrementa atque etiam maiora captura provideatur, labore nempe Missionariorum assiduo, bene fieri visum est, si ibi loci novam Provinciam conderemus; id enim et laudi simul Missionariorum et stimulo cedit. Qua re, consilio petito a Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus, qui Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione praesunt, haec statuimus, iis ante auditis quorum interest. Per divisionem Provinciarum ecclesiasticarum Madanganae et Portus Moresbiensis novam Provinciam condimus, haec est Montis Hagensis, quae complectetur ipsam Sedem Montis Hagensis, hodie ad dignitatem Ecclesiae metropolitanae evectae, atque suffraganeas Sedes Mendiensem, Gorokanam, et Uabaganam, hac ipsa die constitutam per divisionem ipsius dioecesis Montis Hagensis. Nimirum hae Sedes episcopales omnes pergunt esse Sacrae Congregationi Fidei Propagandae obnoxiae. Ceterum, Seminarium maius, quod in loco Bomana, Spiritui Sancto dicatum, in finibus archidioecesis Portus Moresbiensis, etiam clericis provinciae Montis Hagensis patebit. Huic vero Venerabilem Fratrem Georgium Bernarding praeponimus, qui hucusque, tamquam Archiepiscopum Metropolitanam, cum iustis iuribus atque oneribus. Ad ea autem perficienda quae per has Litteras iussimus Venerabilem Fratrem Franciscum De Nittis, Archiepiscopum titulo Tunetensem atque in Papua Nova Guinea Pro-Nuntium Apostolicum, legamus, vel quem ipse statuerit, modo Virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Re vero acta, documenta scribantur atque sinceris exemplis ad Sacram Fidei Propagandae Congregationem cito mittantur. Contrariis nihil obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesima mensis Martii, anno Domini MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis

AGNELLUS Card. ROSSI

S. Congr. pro Gentium Evang. Praefectus

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*

Eugenius Sevi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXIV (1982), n. 7, pp. 762-763 © Copyright 1982- Libreria Editrice Vaticana

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana